Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 981
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 34. p. 2. rubro: *Incipit liber soliloquiorum sancti ysidori.* Itaque hic Libris *de Summo Bono* subjunctus est, ut in editione principe facta *Norimbergae* circa 1470. f. Praeit *Argumentum*, quod incipit: *In subsequenti hoc libro qui nuncupatur Synonima* &c. Sequitur aliud *Prooemium*, quod *Jac. du Breul* in *edit. suprac.* praefixerat Libello *de Contemptu mundi*; legerat enim initium ejus in nescio quo codice sic: *Venit ad manus meas quidam liber Ciceronis* &c. Cum vero nobis sic incipiat: *Evenit nuper ad manus meas quedam cedula quam synonimam dicunt* &c. et finiat: *Duorum autem persone hic inducuntur, deflentis hominis. et admonentis rationis*, quae verba a *Dubreulii* Codice abfuere, rectius Libello nostro *Soliloquiorum* sive *Synonymorum* restituendum videtur, eo etiam ex capite, quod Libellus iste reipsa διαλογικως inter *Animam* et *Rationem* conscriptus sit. Id, quod etiam in edit. *Norimb. suprac.* factum cernimus. *Dubreulius* porro *Soliloquia* in *duos* Libros, et Librum secundum in *Capita* distribuit, nobis decurrunt continua, multis tamen *rubricis* distincta. Uber quoque et hic variantium lectionum messis est. Ad calcem Librarius adjecit:

Sit laus scribenti sit vita salusque legenti.
Lector amore dei sepe memento mei.

III. *fol.* 45. currente calamo: *Incipit libellus magistri Egidii doctoris decretorum dicti de Bononia quem ad erudicionem nouorum aduocatorum compilauit et bene fecit. Incipit prohemium. In nomine domini nostri ihesu christi. Ego egidius de foscararis ciuis bon. doctor decretorum licet indignus ad instantiam quorundam meorum scolarium — aggredior presens opus* &c. Divisum est in *Partes* V. quarum I. de ordine in causis civilibus et ecclesiasticis in foro ecclesiastico, II. de ordine in causis spiritualibus, III. in terminalibus, IV. de cautelis Advocatorum et formationibus libellorum, V. de dispensationibus et formulis Exordiorum tractat. Extrema sunt: *Hoc igitur opus utilia ponens et inutilia pretermittens sub breuitate qua potui terminaui, ad laudem et gloriam sancte et indiuidue trinitatis* &c. *Aegidius de Fuscherariis Trithemio* n. 428. *Bumaldo* in *Biblioth. Bonon. Ghirardaccio* in *Hist. Bonon.* notus obiit teste ultimo L. IX. *edit. Bon.* 1605. p. 282. f. anno 1289. 10. *Jan.* Opus illius praesens editum *Bononiae* 1572. asserit *Orlandus* in *Scriptt. Bonon.* p. 103. Itaque fallitur *Pancirolus*, qui illud L. III. c. 10. una cum Libro *de Judiciis Guil. Proredae* Angli vetustate periisse existimavit.